

Christoph Wendin Johannes Rodolphus Wick

**Dispvatio De Ivrisdictione Tit. I. Lib. II. Pandectarvm cum materiis
concordantibus in C. & vniuerso iure, item Tit. 26. partis 2. Ordinationis Camerae
imperialis**

Rostochii: Myliander, 1588

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1744571953>

Druck Freier  Zugang





~~XXXVIII. 8.~~

~~2. 5.~~
~~27. 5.~~

27. 5. 1027.

263

16

DISPUTATIO
DE IURISDICTIONE
TIT. I. LIB. II. PANDECTARVM
cum materiis concordantibus in C.
& vniuerso iure, item Tit. 26.
partis 2. Ordinationis Ca-
meræ imperialis.

In qua

Præside

CHRISTOPHORO VUEN-
DINO J. V. D.

Respondebit.

JOHANNES RODOLPHVS
VVICK VLMENSIS.

ROSTOCHII

Stephanus Myliander excudebat.

ANNO

CIO. IO. XIII.



ΕΠΙΛΟΓΗ

Iustinianus noster, cui maximorum & medio-
crum & paruulorum cura fuit, praclare inquit:
Imperium esse maximum donum quod a su-
perna clementia generi humano collatum est, &
licet contentiosa iurisdictio, salebrosa contentio-
num varietate plena sit, attamen nos solummodò
qua & antiquitati & verbis Iurisconsultorum
propiora videbuntur, breuiter & methodicè pro-
ponemus.

Thesis I.



*I*urisdictio est publica iuris statuendi
potestas.

II.

*E*leganter Iurisdictio dicitur pote-
stas, nam etsi potestatis appellatio varia & mul-
tiplex est, attamen perpetua est nota praeminentiae
& imparitatis, atq; ita generali huius generis si-
gnificatione docemur, quod par in parem veluti
Praetor in Praetorem, Consul in Consulem, imperi-
um non habeat, neq; ei ius dicere possit.

III.

*I*uris dictionis quoq; appellatio generalis est,
cum pro vi & efficacia tam meri quam mixti im-
perij ponatur.

III.

Eruditis placuit iurisdictionem definire iuris dicendi potestatem, sed cum & ea quæ absolute imperij sunt, sub iurisdictione contineantur, magis placuit iurisdictionem definire iuris statuendi potestatem, nam & ea quæ absolute imperij sunt, iurisdictione egent.

V.

Competit autem iurisdictione, aut lege, more, imperio, aut alieno iure.

VI.

Nam etsi publica iuris statuendi potestas latissima est, attamen continetur imperio & iurisdictione.

VII.

Absolute & *κατ' ἐξουσίαν* Imperij sunt, quæ ad statum rei Romanae spectant, veluti est ius condende legis, creandi magistratus, inducias, sœdera pacis belliq; ineundi.

VIII.

Huc quoque pertinent quæcunque Imperatori, Principibus iure superioritatis competunt veluti est ius appellandi, Item quæcunq; conitibus Baronibus, & liberis civitatibus imperij, propter summam iurisdictionem qua in territoriis suis sub nomine

mine Lands vnd Fürstlicher Obrigkeit fungun-
tar, competunt.

IX.

Imperij quoq₃ est ius salui conductus, eius Ei-
chern glaits für recht vnd für vnrechter gewalt.

X.

Sed ius collectandi, aduocatie, item regalia,
à iurisdictione & imperio differunt.

XI.

Ceterum imperium quod foro deseruit, aliud est
merum aliud mixtum.

XII.

Merum imperium est habere gladij potesta-
tem ad animaduertendum in facinorosos homines.

XIII.

Merum imperium, absolutè potestas, ab officio
animaduersio, ab insignibus ius gladij, ab origine
gladius Dictatorius vocatur, quippè huius potesta-
tis insigne fuit gladius, quo Dictator cingebatur, ab
hoc gladio merum imperium gladij ius vocatum
est, etenim animaduerti oportet, non securi, vel telo
vel fusti, vel quo alio modo.

XIII.

Deniq₃ à finibus terrendi, id est, summonendi
dicitur territorium, quod est vniversitas agrorum
intra fines cuiusq₃ ciuitatis.

A 3

Sed

XV.

Sed cur hoc imperium merum appelletur, varie extant Dd. opiniones, nos ideò merum dici existimamus, quia iurisdictio ei non inest.

XVI.

Etsi domini occisi cognitio ex Senatuconsulto Syllaniano Pratori competat, attamen merum imperium propriè non est Pratoris, sed pertinet ad ius populi.

XVII.

Quippè magistratui populi Romani id tantum tributum est, ut ciuem Romanum posset coercere, & in vincula publica duci iubere, soli Dictatori animaduertendi ius attributum est.

XVIII.

Sed postea lege Regia, quæ de Imperatoris imperio lata est, populus ei & in eum omne imperium & potestatem contulit.

XIX.

Submero imperio propriè continentur, pœna quæ ad capitis periculum pertinent, deinde quoq; non impropiè ad merum imperium pertinet omnis gravis animaduersio, veluti flagellorum coercitio, fustium ictus.

XX.

Mixtum imperium est, cui etiam iurisdictio inest.

Mixtum

XXI.

Mixtum idè dicitur, quod non sit merum, sed iurisdictioni cohereat, & retrò iurisdictione insit imperio, atque ita mixtum imperium est imperium quod temperamento iurisdictionis moderatum est.

XXII.

Principaliter quidem imperium est, sed non absolute, quia iurisdictione ei perpetuò inest, atq; idè quæ mixti imperij sunt, dicuntur magis esse imperij, quam iurisdictionis, veluti iubere cauere prætoria stipulatione, & in possessionem mittere, nec enim unquam dicitur hoc imperium inesse iurisdictioni.

XXIII.

Et quamvis imperium quandoq; dicatur coherere iurisdictioni, attamen hoc verum non est de ordinaria, sed mandata iurisdictione.

XXIII.

Iurisdictione est etiam iudicis dandi licentia.

XXV.

Quippè uniuersa Prætoris iurisdictione tribus solemnibus verbis explicatur, puta: DO, DICO, ET ADDICO.

XXVI.

Addicit Prætor quando id quod suæ iurisdictionis extremum, atq; singulari lege datum est exercet, veluti quando tribuit pignus, vel creditoribus

A 4 in tem-

in temporariani seruitutem addicit debitores, qui non erant soluendo.

XXVII.

Atq; hi qui cum iudicatum facere non possent, creditoribus adiudicabantur, addicti dicebantur, quemadmodum vel ex Cicerone, Quintiliano, & Gellio, constat.

XXVIII.

Dicit Prator quando decreto interposito mixtum imperium exercet, ueluti iubendo cauere, possidere, vetando, imperando, restituendo.

XXIX.

Huc pertinent quaecunq; sunt extraordinaria cognitionis, et in iure, hoc est apud pretorem, sunt, atq; in totum pendent a pratoris cognitione, quemadmodum in plerisque iuris articulis aut fauore personarum vel causa moribus receptum est.

XXX.

Sed regulariter iudicem dabat, atq; ideò iurisdictione quae inest imperio, rectè desinitur quod sit etiam iudicis dandi licentia.

XXXI.

Ut autem ordinaria iudicia progressum, & deniq; euentum, sortirentur, stipulationes introductae sunt, quae cum a mero pratoris officio proficiuntur, praetoriae dicuntur.

Præ-

XXXII.

Prætoriarum stipulationum aliæ sunt iudiciales, aliæ cautionales, aliæ communes.

XXXIII.

Iudiciales sunt quæ propter iudicium interponuntur ut ratum fiat, hoc est, ut iudicium firmum sit, veluti est stipulatio indicatum solui, & ex operis novi nunciatione.

XXXIII.

Cautionales sunt quæ instar actionis habent, & ut sit nova actio intercedunt, ut de legato stipulationes, & de tutela, & rem ratam haberi, & damni infecti.

XXXV.

Communes sunt quæ & propter iudicium interponuntur & actionis instar habent, veluti iudicio sisti.

XXXVI.

Deniq; dat Prætor, quando ea quæ magis iurisdictionis, quam imperij sunt explicat, veluti dando iudicio.

XXXVII.

Dabat autem iudicia, hoc est actionem vel exceptionem quando actorem ad actionem intendendam vel rem ad actionem elidendam admittibat.

Actio-

XXXVIII.

Actiōni quoq₃ iudicem addidit, qui iudex additus nuncupatur, interdum quoq₃ arbitros & recuperatores dedit.

XXXIX.

Atq₃ hi dies quibus ex usu & moribus pratori data fuit potestas effandi hac tria solemnia verba: Do, Dico, & Addico, fasti dicti sunt. Hinc Ovidius 2. Fastorum. Ille nefastus erit per quem tria verba silentur, Fastus erit per quem lege licebit agi.

XL.

Porro iudex datus etsi notitionem, interim tamen neq₃ forum neq₃ iurisdictionem habet.

XLI.

Nam postquam iudex secundum prescriptam & à pratore datam iudicandi formulam, sententiam dixit, executio late sententiae ad pratorem pertinet. Haecenus de ordinaria iurisdictione, & causarum disquisitione. Nunc de delegata iurisdictione.

XLII.

Delegata iurisdictione est quae ab ordinario alicui demandata est.

XLIII.

*Delegari autem possunt regulariter omnes causae
prater*

præter criminales & quæcumq; nominatim lege
tribuuntur mandata iurisdictione non transfe-
runtur.

LXIII.

Quæ verò iure magistratus competunt etiam
à præsentè mandari possunt.

XLV.

Deniq; porrogata iurisdictione dicitur quando ex
partium conventionè alius Prætor quàm cuius iurisdictione
esset, aditur. Sequitur quomodo iurisdictione
amittatur ex Imperij constitutione & causa denegata
iustitiæ.

XLVI.

Quod si iudex petenti iustitiæ, ante litis ingressum,
vel post unicam legitimam requisitionem manifestè &
expressè denegaverit, eamq; intra mensem ministrare
nolit, quo ad illam causam perdit iurisdictionem.

XLVII.

Atq; is cui iustitiæ denegata est, remedium
habet adeundi iudicem gradu superiorem & petendi
promotoriales pro administranda iustitiæ.

XLVIII.

Sed priusquam obtineat processus: opus est publico
legitimæ requisitionis documento, quamvis hodiè ob
Notariorum difficultates non adeò requiri solere constet.

Quod


XLIX.


Quod si inferior iudex iustitiam requirenti secundum promotoriales per nuncium Camera iuratum vel legalem notarium insinuatam, iteratò iustitiam administrare denegauerit, etiamsi publico instrumento requisitionem & denegationem non probauerit, perdit iurisdictionem suam quo ad illam causam.

L.

Et superior iudex processus per modum simplicis querelæ decernere potest.









Tratado de
T. de
Conf. f. d. i.





XLIX.

Quod si inferior iudex iustitiam requirenti secundum promotoriales per nuncium Camera iuratum vel legalem notarium insinuat, iteratò iustitiam administrare denegauerit, etiamsi publico instrumento requisitionem & denegationem non probauerit, perdit iurisdictionem suam quo ad illam causam.

L.

Et superior iudex processus per modum simplicis querela decernere potest.

